


05

A

2211





Disputatio Politica
de
B E L L O,
Duce Deo & Præside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philosph. Adjuncto,
proposita à
MATTHÆO BRIESMANNO,
Cotbusio - Lufato
In Auditorio minori
ad diem 9. Octobr. horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
A. cl. 16 CXXXIX.



M. MICHAELIS

MATTHIAS BRISMANN

05 A 227

Typis Johannis Röhrl, Act. Typogr.

Matthias Brismann Resp.



Præloquium.

CAussa *Reipublica* *corrumpentes* *sunt*
vel interna *vel externa*. *Internis* *hac* *vice* *sepositis* *ad*
externas *delabimur*, *quarum* *primaria* *est* *bellum*.
Hujus *considerabimus* *naturam*, *causas*, *apparatum*, *condi-*
tiones, *aliq^q*, *qua* *ab* *ius* *tradi* *possunt*, *quorum* *aures* *tuba-*
rum *clangor* *non* *circum* *sonat*. *Quod* *dum* *facimus*, *non* *pro-*
lixâ *defensione* *opus* *esse* *arbitramur*, *contra* *eos*, *qui* *omnia* *ex-*
perientia *tribuunt*, *nihil* *studio*, *nihil* *diligentia*, *nihil* *ingenio*,
cum *tamen* *experientia*, *etsi* *nec* *inutilis*, *nec* *contemnenda*,
sed *potius* *maximi* *facienda*, *incerta* *tamen* *nonnunquam*,
vel *saltem* *non* *omnibus* *numeris* *sit* *absoluta*. *Sciant* *isti*,
qui *nos* *ad* *libros* *ablegant*, *duplicem* *esse* *experientiam*, *unam*,
quam *nostris* *experimentis* *comparamus*, *alteram*, *quam* *de*
aliis *nobis* *suppeditant* *historie*. *Priorem*, *utpote* *periculo-*
risissimam, *sibi* *quamvis* *non* *vendicent*, *qui* *literato* *in* *otio* *vi-*
vunt, *nihil* *tamen* *obstat*, *quò* *minus* *judicium* *&* *sententiam*
de *armis* *ferant*, *idq^q*, *ex* *mente* *veterum* *sapientum*, *qui* *Im-*
peratoribus *consilia* *suppeditarunt*; *siquidem* *&* *Medicus* *par-*
turientem *fœminam* *juvare* *potest*, *licet* *ipse* *nunquam* *gra-*
vidus *fuerit*, *neq^q*, *parturiverit*.

T H E S E S.

1. §. *Bellum* *quàm* *immanis* *sit* *bellua*, *quotidiana* *expe-*
rientia *docet*. *A* *sapientibus* *appellatur* *δνυοβόεγς*, *quòd*
populum *devorare*, *nec* *satiari* *tamen* *facile* *soleat*. *Et* *quis*
posset *omnia* *enarrare* *incommoda*? *Tot* *enim* *sunt* *&*
tanta, *ut* *horrore* *quodam* *ab* *eorundem* *enumeratione*
revochemur.

2. §. *Hinc* *prudentissimè* *olim* *Martianus*, *Imperatori*
arma *capienda* *non* *esse*, *dixit*, *quàm* *din* *pacem* *colere* *liceret*.

Nec audiendi sunt, qui ad perpetuandos belli furores classicum canunt. Quod plerumq; facit nostris temporibus vel gens ista inquieta, quam Jesuitas vocamus; vel qui aliam vitæ honestæ degendæ artem non didicerunt, quidam pessimi nebulones, edocti ad vias latere, & præter-euntium bonis inhiare, aliique quàm plurimi, qui frugibus perdendis nati sunt. Cùm enim è publicis illis miseris, vel cæde hæreticorum, ut ajunt, satiari cupiant, vel auream messem metant, ita omnia in arte militari collocant, ac si cum bellò vita quoque abruptenda veniat. Eorum sequamur consilium, quorum non interest publicam tranquillitatem turbari.

3. §. Uudè ergò hodie in multis amor bellì oriatur, facile patet, non quòd leges militares veterum nostris fuerint meliores, sed quòd desit legum usus, & militibus ultimis temporibus liceat ferè, quòd lubitum est: imò quòd recipiantur sceleratissimi, scelerumq; architecti felicissimi.

4. §. Hos pessimos mores Romæ, hujus cùm imperium inclinaret, fuisse, scriptum reliquit Salustius: *Catilina*, inquit, *omnium flagitiorum atq; facinorum circum se, tanquam stipatorum catervas, habebat. Nam quicumq; impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria dissipaverat: quicq; alienum es grande constaverat, quo flagitium aut facinus redimeret: præterea omnes undiq; parricida, sacrilege, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes: ad hoc, quos manus atq; lingua perjurio aut sanguine civili alebat: postremò omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagabat, hi Catilinae proximi, familiaresq; erant.*

5. §. Absque hoc si foret, multi optarent, ut arma ponere permitteretur, quemadmodum illi, qui in ergastulis olim

olim sacramenti fugiendi causâ latitantes, pollices sibi præscindebant, aut in gynæceo muliebribus induci vestibus nebant, ut Achilles, aut insaniam simulabant, ut Ulysses: aliasque ad eò quærent effugiendi occasiones, qui nunc ultrò sese offerunt, & militiæ sua nomina non tantum dant, quàm obtrudunt, tantum eam ob causam, ut sibi liceat, quicquid velint.

6. §. Quanta verò miseria tales excipiat, infelix testatur eventus. Cum in aciem jam educuntur, & ad aras quasi cruenti Martis sistuntur, ad paucissimos victoriæ gloria pertinet, & pauciorum nomina trophæis inscribuntur. Tot millia jacent occisi, qui, etsi fortiter terram ore, ut Virgilius loquitur, momorderint, tamen sine nomine vulgus in perpetuum nesciuntur vixisse. Plures, qui ad bellum alati festinaverunt, claudicantes redeunt, Quibus blandior fortuna integris esse permisit, Zonam referunt inanem, vel magno scelerum onere onusti perpetuam, sentiunt conscientiaæ torturam: imò vitis ad eò sunt assueti, ut non possint, quæ didicerunt, dediscere, sed servent sartam proverbii illius veritatem; quo Italus bellum, ait, *fures serere ac maleficos, quos pax gladio post demetat ac resti.*

7. §. Ut ut verò omne bellum maxima sequantur incommoda, non tamen, tanquam illicitum est rejiciendum, aut omnes milites furis infernalibus devovendi, Gesserunt bella sancti in veteri instrumento. Abraham Reges vicit: Moses & Josua promissam terram armatâ occupaverunt manu: Deus belli leges dictavit. Sacer codex bellorum historiis ad eò est plenus, ut si vel ex improviso aperiatur, nunquam non sese lectori offerat bellum.

8. §. In Novo etiam Testamento Christus ipse aliquoties

ries tacitè approbavit. Reddite Cafari, inquit, quæ sunt Cæ-
faris: imò ipfe dedit: maximam tributorum partem sti-
pendiis militum impendi sciebat: Centurioni militiam
nihil nocere docuit, cum illius fidei nullam in Israel esse
perem profiteretur, quemadmodum ista omnia ex Theo-
logia satis nota & noliscerta sunt.

9. §. Itaque indubitatum putamus, quædam bella, ut le-
gitimè suscepta, & agnoscenda & approbanda esse. Quæ
autem sint, videbimus, si prius indicaverimus illegitima,
cum plurima vel iniquè gerantur, vel, si iusta sunt, iniquè
administrentur. Hic non eventus facit bonam causam,
ut victoria alterutri jungatur. Nonnunquam enim ca-
dunt, ut altius surgant, nonnunquam, ut in perpetuum
jaceant.

10. §. Ergò hîc non tantùm exitus à bonâ causâ venit
distinguendus sed etiam veræ causæ à spuris veniunt se-
questrandæ. Plures quamvis bono fine belligerare sese di-
cant, non tamen ob id excusandi; quia necesse est, ut etiam
honestum propositum legitimis exequantur mediis. Nec
credendum isti, qui in bellò suscipiendo bonam præten-
dit causam, in pectore verò insatiabili quâdam rabie in-
nocentes puniendi æstuat. Nullus enim unquam fuit adeò
factiosus turbarum concitator, qui non prætenisset suis
consiliis bonum publicum.

11. §. Injusta sunt, quæ ex affectu iniquo geruntur. Ho-
rum infinitus ex historiis colligitur numerus. *Darius* Persa
Santino, Scytharum regi, indixit bellum, quòd filiam ei
matrimonio jungere nolisset. *Xerxem* ad bellum Atticis
inferendum impulit *avaritia*; hic enim Atticas cum gu-
stasset ficus, juravit se eam occupaturam terrum, quæ ejus-
modi produceret fructus. Nec ullum ferè gestum fuit,
vel

vel geritur, cui, quamvis iusto, iustisque de causis suscepto, non inusserit aliquam labem hæc pessima pestis, primaque malorum omnium radix.

12. §. Hæc multò iniquior causa sequitur, *ambitio & pertinax dominandi libido*. Nam dic mihi, si sola avaritia hominum animos occupasset, cur sæpe non receperint hostium præces, qui omnia dedere parati fuerunt, ut pacatis sibi liceret esse? Duo scilicet ista simul *aurum & purpura curis exercent hominum vitam, bellum fatigant*. Dissuadet hoc bellum honestas; vulturum enim est, latronum & prædonum aliena citra causam & commodi tantum gratiã invadere. Nam honestè id demum quisq; potest, quod jure & dignitate salvã potest. Vim inferre ipsi naturæ injustum est.

13. §. Merito hic querimus, quid de regionibus, ut ajunt, *Pri- scis incognitis, sit statuendum, num jure in ejus potestatem venerint, qui in iis indagandis omnem operam, omnemq; studium posuit?* Resp. Insulæ inventæ, vel incolis habitantur, vel incultæ nullius subjacent imperio. Si hoc, juris videretur esse, ut, quæ nullius sunt, ea fiant occupantium. Si incolis fuerit frequens, illi erunt vel *ἀναρχοι* adeoq; disciplinæ indigi, vel domino suo parebunt. Si prius; non inutile fuerit, si, Repub. ibi institutã, in ordinem redigantur, ut indomita eorum feritas paulatim frangatur, & quodammodo mitescat. Hinc Aristoteles lib. 1. Politic. hujusmodi bellum naturã esse justum pronunciat, quod suscipitur eos in homines, qui cum sint ad parendum apti, imperium recusant. Si Insulani habeant suum Dominum, cuius imperium agnoscunt, interturbandi non sunt, nec imperium in eos affectandum; alios enim jure suo intervertere, aut sedibus patriis ejicere, nimis foret in humanum. Hinc conicere in proclivi est, quo jure *Hispani Indis bellum,*
serbi-

*ferbitutem & tyrannidem intulerint, & ab eorum com-
merciis Anglos & Belgas prohibere nihil fuerint veriti.
Eodem sane prætextu, quo Turcarum Sultanus Carolum
V. Romanum Imperatorem esse negavit, eò quòd se jure
belli Constantini M. successorem diceret, qui tam occi-
dentis, quàm orientis fuisset Imperator.*

14. §. Nec hos præteribimus, qui *cupidi laudis glorio-
sum esse putant, multos demisisse, ut Poëta ait, ad Orcum.*
Hæc gloriâ Cæsar sibi placebat, cùm undecies nonaginta
duo hominum millia à se interfecta diceret. Socerum
secutus est gener Pompejus, qui Minervæ Templo inscri-
psit, quòd vicies semel centena octoginta millia fuderit,
fugaverit, & in deditionem acceperit. Sanè illi similes
mihi videntur Herostrato illi, qui Templum Dianæ cele-
berrimum in cendio delevit, ut nomen sibi pararet.

15. §. Tandem inter injustas belli causas referimus
cum Adamo à Conzen, si quis *ob miseros receptos bello profe-
quatur alios, nisi fuerint ipsi malorum autores,* quòd reli-
quæ, excisâ patria, non persequendæ sint. Israëlita sex-
centis Benjamitis pepercerunt, imò uxores dederunt.

16. §. Princeps ergò vel Magistratus bellum suscepturus,
deponat iram, invidiam, avaritiam, ambitionem, cupidi-
tates denique omnes, & omnia illegitima expirabunt
bella. Hoc animi bellum nisi prius sopiatur, & ratio ni-
vitiosi subjiciantur affectus, pacem & justa bella sperabis
frustra.

17. §. Et cùm, ut antea fuit monitum, mortalium in-
temperies omnibus bellis nequeat carere, paucis indican-
dum, quid observandum, ut bellum sit justum, justèque
administretur. In hoc ipso, Ethnicis scriptoribus relictis,
Christianos sequimur, qui accuratiùs rem exposuerunt.

Justum

Justum bellum est, quod *justam habet causam*, cum ex eâ tota res dependeat. Et nullibi diligentius causa est quærenda; quia non de agello, aut unius hominis vili capite agitur, sed de totis regnis, de DEI vicariatu, deq; civium sanguine ac bonis.

18. §. Justa causa est vel *defensoria*, vel *vindicatoria*. Justissima causa est defensio sui, tum quòd juris naturalis sit, & omni generi animantium attributa, tum quòd tam peccet contra justitiam Princeps, qui Rempubl. non defendit, quàm qui aliena invadit. Nec nos tantùm, sed & socios nostros optimo defendimus jure, scilicet si sociorum causa & ipsa sit justa, ac ab omni iniquitate aliena. Ita Abrahamus domesticos suos armat, aliosque sibi adjungit, ut fratrem liberet.

17. §. Vindicatoriam causam esse justam ex Num. 31. Jud. 19. & 20. præsupponimus. Cautè tamen & hîc agendum, ne exorbitemus. Vindicatio autem hæc fit, vel ob amissa, vel erga eos, qui hostes nostros adjuverunt, vel legatos violarunt. Quod spectat rerum amissarum recuperationem, notandum ex *Alberico Gentili lib. 1. de belli jure, vetustas causas malè excitari*. Injustè affligimus bello eos, qui injustè resistentibus succurrerunt, si fuerint vel hostium subditi, vel de causâ belli nihil certi iis constiterit; sunt enim innocentes. Multò minus favere licet in eos, qui hostem tantùm favore aliquo, vel ob amicitiam, vel affinitatem, vel aliam rationem sunt persecuti. Ita ob privatam, injuriam aut damnum privatum principi aliive illatum, toti populo bellum illegitimè infertur. Justum est bellum, quod ob legatos violatos suscipitur; quia hoc peccatum contra jus gentium commissum, legitimè vindicatur. Corinthus à Romanis everfa, quòd horum legati durius tractati & sordibus fuissent perfusi. Intellige tamen eos legatos,
B qui

qui præter officium legationis, nihil hostile machinati fuerunt, aut speculatores potius, quàm legatos egerunt.

20. *S.* Secundum iusti belli requisitum faciunt *bonam intentionem*, quæ tum ad est, quando non privati, sed publici totius Reipub. commodi gratiâ suscipitur, & eam ob causam, ut sine injuriâ in pace vivatur, vel nihil aliud nisi pax, quasi ita esse videatur.

21. *S.* *Queritur num possint à nobis armis repetita provincia, quæ olim nobis ademta fuerunt?* Ut ut vetustæ causæ male excitentur, fieri tamen id posse, ipsa recta ratio & æquitas suadent. Nam qui exigit ea, quæ sua sunt quicquid fecit, defendendi sui gratiâ facere creditur. Hinc defendi possunt sacra illa bella & expeditiones Hierosolomytana, funesti quamlibet eventus, quando res & provincias, quæ olim ad Christianorum Principum Jurisdictionem pertinebant, hortatu sanctorum virorum repetitum iverunt Christiani. Tantò autem fervore & alacritate susceperunt sacrum hoc bellum, ut tam ad occumbendum, quàm vincendum æquè hilares: tantà multitudine, ut tota Europa migrare videri potuisset, ut vel ex ipsâ animositate causæ justitiam cerneret. Quod si conventionem quâdam redimendæ pacis gratiâ provincia vel tota vel pars ejus in perpetuum concessa fuerit, pactione istâ standum esse statuimus.

22. *S.* Tertium est *personæ bellantis qualitas*. Hæc in eò fit statu, eaque vitæ conditione, ut ei belligerare & humanum sanguinem fundere, non sit indecens atque interdictum. Excluditur Ecclesiasticus, qui totus Ecclesiæ inservire, nec se negotiis secularibus implicare debet. *Sacerdotis est, inquit Chrysostomus, populum monere, non movere arma, quia gladium mentis, non Martis, tenet.* Aliter statuit

statuit Danaus lib. 7. Polit. Christianæ cap. 5. pag. 117.
& seq.

23. §. Simpliciter tamen non esse accipiendum, monet
*Obrecht th. 107. his verbis: quod si tamen Ecclesiastica persona
Maccabei fuerint, admitti omnino possent, ut armati hostes
DEI oppugnarent.* Quin etiam si hostis repentinus obli-
deat civitatem, etiam subierit in mœnia, minister Ecclesiæ
rectè potest sumere arma, & vim vi repellere, *ut docet Al-
ebus, in Polit. cap. 29. fol. 412.*

24. §. Quartum requisitum est, ut *modus observetur ul-
tionis.* Hic enim si excedatur, ex justò bello injustum fit.
Exempla non desunt, quibus demonstrari possit, quàm ma-
lè semper Ducibus bellicis cesserit nimia crudelitas & post
victoriam insolentia. Observent illud Didonis apud Vir-
gilium: *Parcere subjctis & debellare superbos.* Turpe etiam
existiment atque indecens in victum favire hostem; quia
*corpora magnanimo satis est prostrasse leoni: At lupus & tri-
stes instant morientibus ursi. Et qua cunq; minor nobilitate
fera est.*

25. §. Quæritur, *An pars læsa, si hostis, qui injuriam intu-
lit, refarcire damnum velit, acceptare satis actionem belloq;
abstinere teneatur?* Distinguimus inter injurias, quarum
nonnullæ fortunis tantùm inferuntur, nonnullæ corpori-
bus, nonnullæ famæ & honori, nonnullæ denique pluri-
bus, vel etiam omnibus his simul sumtis. Itaque sicut inter
hæc bona fortunæ, ad quæ etiam fama referri potest, mi-
nima sunt, ita facillimo quoq; negotio pax restitui posse evi-
detur, si ablata divitiæ restituantur, & convicia recantentur.
Quòd si has condiciones pars lædens receperit, abstinendum
ab ulteriore læsione existimamus. Si ipsis corporib⁹ vis illata
fuerit, adeoq; vel pudicitia vel vita etiam erepta fuerit, non
potest

potest oppugnari Respub. si doleat se alteram læsisse, si auctores commissi sceleris tradat, si quibuscunq; aliis modis satisfactionem spondeat. Quod si jam bellum geratur, parsq; lædens, labente demum acie, offerat satisfactionem, non tenerur ex iustitiâ eam altera pars acceptare, sed è re tamen fecerit, si pareat, & charitati locum relinquat, multosq; in eò exercitu esse cogitet, qui vel innocentes prorsus sint, vel necessitate, errore aut levitate peccaverint.

26. §. Quintum requisitum est *autoritas legitima*. Solus namq; summus Magistratus belli indicendi jus habet. Olim quidem jus fuit penes populum Romanum: sed quia post populus omnem potestatem Imperatori concessit. coepit hoc jus belli indicendi soli Imperatori competere, quod ad eò coherere dicitur Majestati, ut nullo modo ab eâ divelli queat.

27. §. Ergò qui sunt sub alterius potestate constituti, belligerare nequeunt, nisi consentiente eo, penes quem est summa in Repub. potestas. Causa est in promptu; qui enim agnoscit superiorem, eum oportet de controversiis audire supremum judicem: & id eò Reipub. ipsi aut summo Magistratui armis uti licet, quòd neminem agnoscat se in his terris superiorem, coram quo accusare possit eos, à quibus damnum fuit illatum.

28. §. Hæc tamen, quæ de Principibus dicuntur, accipe de potestate regulari, non irregulari. Hæc enim & ipsis in quibusdam casibus bellum suscipere permittitur, videlicet
1. si periculum nullam admittat dilationem. 2. si Imperatoris copia haberi nequeat. 3. si subditi resistant, & hostilia machinentur. 4. si Imperator sui muneris immemor aliquem deusoria lætet procrastinatione. 5. si Magistratus superior manifestam exercent tyrannidem. Hic quia defensio sui suorumq; est licita, etiam Magistratui resistere licitum erit,

29. Hoc

29. §. Hoc non tantum de Principibus, sed etiam Urbibus, de nobilitate libera, & Collegiis, quæ in Imperio conventionione publicâ, secundum Aureæ Bullæ præscriptum coaluerunt, esse capiendum, docet Liebenthal *diff. 14. Coll. Polit. th. 13.* Ratio est; quia Magistratus intermedii respectu superioris quidem pro privatis habentur; respectu autem subditorum, & ipsi sunt superiores ac gladium gestant, etsi non in omnes, in eos tamen, quibus, ut Magistratus, præsent.

30. §. Ultimum requisitum est *Prudentia*. Nam ut lento consilio ad bellum est procedendum, ita etiam cautè est gerendum. Diligenter perpendendum est, quis & qualis sit hostis? num Danus? num Suecus, num Gallus, Hispanus vel Germanus? Num impetu tantum, ut Hungarus & Croatus, an verò etiam dolis atq; prudentiâ, ut quondam Pœnus, nobis vel æqualis sit vel superior? Habenda est locorum ratio, ne, com meatu intercluso, fame pereat, qui hostibus erepturus vitam erat gladio. Ita quondam Cambyfes, suscepturus expeditionem in Æthiopes, non provisus com meatibus & inexploratis itineribus, per in via, per arenia trahebat omnem bello utilem turbam, & inter primum iter necessariis destituebatur. *Seneca lib. 3. de irâ cap. 20.*

31. §. Quærimus, num strategemata ad prudentiam Ducis pertineant, adeoq; illis licitè uti queat? A plurimis strategemata, tanquam bonæ fidei è diametrò contraria, rejiciuntur. Verùm strategematum usum licitum esse, tam sacræ quàm profanæ probant historiæ, pluresq; suadent rationes. DEUS jussit civibus Hai insidias à Josuâ strui. Davidi mandat, ut Philistæos à tergò adoriatur. Abrahamus noctis beneficiò usus hostes oppressit. Victoria enim astu comparata minus cruenta est. Belli pulcherrima facta pulchram consequuntur gloriam, quibus & hostes maximè decipiuntur, & amici & socij plurimum juvantur.

31. §. Optimè consulit Magistratus Reipub. qui pacis tempore de comiteatù, de pecuniis armisq; est sollicitus. Hæc adeo necessaria, ut belli nervus verè dicantur, & spiritus vitales. Et si & hoc necessum est, ut in ipsò reperiantur exercitu, qui nova quotidie subministrant. Observarunt id quondam diligenter Romani, omnium gentium in re militari optimi Magistri, teste *Vegetio lib. 2. cap. 11.* Exercendi sunt in arte militari subditi etiam tum, quando est nullus hostis patriæ, dandaq; opera, ut ex ignavò fortis, ex intemperanti moderatus, è desidioso strenuus, è luxurioso frugalis, è libidinoso continens evadat.

33. §. Ex quibus sequitur, *Bellum esse actionem justam à summo Magistratu adversus hostes vel ad depellendam vel vindicandam injuriam vi armisq; legitimè susceptam atq; administratam, pacis vel acquirendæ vel conservandæ gratiâ.*

34. §. Divisiones belli offeruntur variæ. Bellorum aliud est cum vicinis, aliud cum remotioribus. Prius semper est funestum: posterius eo felicius conficitur, quò vicini sunt meliores, ut tutius per eorum regiones, si opus sit pateat transitus. Ratione finis est vel offensivum, vel defensivum. Tandem aliud est externum, aliud civile sive internum. Illud est tolerabilius. Civile vel subditorum in Principem, vel Principis in subditos, vel subditorum inter se se arma capientium. *Vide Georg. Schönborn lib. 5. Polit. c. 24.*

35. §. Quæritur, *num subditis quandoq; liceat capere arma contra Magistratum?* *Obrechtus disp. de bellò tb. 38.* ait, minus rectè bellum dici, quod à privatis suscipitur. *Avenarius disp. 14. Polit. tb. 19.* distinguit inter Magistratum superiorem atq; inferiorem. Cum hoc subditi possunt agere remediis: contra illum nullo modo licet arma sumere. *D. Baltb. Meis. Phil. Sophiæ part. 3. sect. 2.* *Meros subditos, inquit, in temporalibus ad*
obedi-

obedientiam semper esse obstrictos, idque probat à divinâ Magistratus origine, dictis atque exemplis. Sed non mere subditos bona conscientia Magistratui supremo, fidem frangenti, & promissa non implenti, sese opponere posse, quia promiserunt obedientiam non absolutè, sed conditionatè, porro ait.

36. *S.* Nemo ergò dubitabit, quin sit monstrosum dogma Jesuitarum, qui in quosvis principes tyrannidis aut alias suspectos tantum, fraude, ferro, veneno etiam privatis ac subditis grassari liceat, impiè ac nefariè dicunt & docent. *Quid si verò Magistratus subditos ad impia quæq; cogere velit?* Nec hæc causa est fontica; quia secundum præceptum Christi in aliam civitatem fugere possunt. Si aliò fugere non detur, vitæ potius, quam D E O renuncient. *D. Gerhard. pag. 289. in quæst. Polit.*

37. *S.* Personæ ad bellum necessariae sunt *Gubernatores & Milites.* Gubernatores sunt vel *superiores*, qui rei summæ præsunt, suisque & principis auspiciis rem gerunt, vel *inferiores*, qui à superioribus subordinantur, horumque jussu imperant. Non plures, sed unus legendus est peritus & prudens, cui rei bellicæ summa deferretur; sæpius enim repertum fuit, plurimum nocuisse imperantium multitudinem. Summi Ducis requisita debent esse scientia, virtus, providentia, autoritas & fortuna.

38. *S.* Quaritur? *An principem ipsum pugnare oporteat?* Brabantini Ducem suum adhuc in cunis vagientem secum in bellum deduxisse recitat *Janson. in princip. lib. 6. Mercurij Gallo belgicæ.* Tutius est, ut dux summus dubiis exentus, summæ rerum & imperii seipsum servet; in Imperatore enim

univers-

universum periculum est. Si tamen status Imperij aut salus regionum in discrimine vertatur, ipse stabit in acie, cum hujus absentia & duces & milites timidiore faciat. Quin quod Imperator ad sui corporis custodiam sæpe meliores adducat.

39. §. Ita dux suam calleat artem, ut militiam longo usu imbiberit, nec auditione solum aut lectione, sed qui in pluribus provinciis stipendia fecerit; & nullum genus belli sit, in quo illum non exercuerit fortuna: ne, ut Iphicrates olim, cogatur audire, *quis sit, an sagittarius, an veles, an legionarius?* corporis ingenique vigore valeat, præstetque animi probitate. Nos non hic facimus cum Philosopho, Cicerone & Lipsio, qui in duce eligendo magis scientiam rei bellicæ, quàm virtutem inspiciendam esse putant; parum enim Christiana est hæc sententia. Itaque dux, belli virtute & ingenio præditus DEI ac Reipubl. amans, longè præferendus est alteri solà rei militaris scientiâ superbienti. Sit cautus, ita, ut nullibi, nisi, necessitate cogente, se committat fortunæ. Nimiam audaciam Demetrii perditionis regni causam extitisse, ait *Polybius lib. 3. de re militari*. Porro sit severus; quia mitis vilescit. Severitas tamen conjungatur cum comitate, ne amittat autoritatem. Fortuna denique magno usui est ad potentiam, & multum, cum in omnibus, tum præcipuè in re militari potest, cum parvis momentis magnas rerum mutationes efficiat.

40. §. Milites à Magistratu per Directores militares ad bellum tractandum eliguntur & destinantur. In horum delectu consideretur, ut eligatur *civis, robustus & rei militaris peritus*. Milites enim domestici magis fidi sunt, & obedientes, & amantiore patriæ, quàm extranei, qui sæpe sunt refractarij, impatientes, seditiosi, & sæpe in ipsâ pugna fugiunt; quia nec fide, nec adfectu tenentur. Si verò

verò externi milites sunt necessarii, magistratus rectè facturus est, si curet, ut vires suæ propriæ sint, alienæ non nisi accessoriæ. Scipio in Hispaniâ cum exigua Italorum manum haberet, sed magno Celtiberorum numero supra modum confideret, se suosque perdidit.

41. §. Ita & in extremo necessitatis casu Christianum Principem milites conscribere posse ex populo plane infideli, videre est exemplo Abrahami, Maccabæorum & aliorum. Quod enim quis ob corporis sui tutelam facit, jure facere videtur. Bocerus tamen distinguit inter populum, cujus veritas & constantia ita fuit perspecta, ut de eâ minimè quis dubitet, & inter populum, cujus fides est dubia. Pari modo est observandum, quòd & Christianus miles sub principe infideli stipendia mereri queat: sed saltem pro defensione Reipublicæ, non etiam contra veræ religionis assertores.

24. §. Sit robustus; miles enim non tam à moribus aut fortunâ, quàm à viribus probatur. Ex eò ergò hominum genere eligatur, qui quotidiano opere laborem ferre didicerunt, ut sunt agricolæ, nautæ &c. Vegetius lib. 1. cap. 3. rusticam plebem miris commendat modis, quæ sub diò & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborem membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. His enim non ullus labor insolitus, nullus locus asper aut arduus, non armatus hostis formidolosus. Porro Septentrionales præferimus Orientalibus. Ratio est; quia nationes Soli vicinæ amplius quidem sapiunt, sed minus habent sanguinis, adeoque neque constantiam & fiduciam cominùs pugnandi, cum ob exiguum sanguinem

C

nem

nem vulnera metuant. Contra Septentrionales incon-
sultiores quidem, sed largo redundantes sanguine sunt ad
bella promptissimi. Præter hæc & quotidiana experien-
tia idem sat adstruit.

43. §. Miles debet esse peritus armorum; hoc enim opus
militiæ præcipuum est. Romæ Campus Martius milita-
rium studiorum schola fuit, ut juvenus in omni armo-
rum genere exerceretur. De Pompejo Salustius refert, quod
cum alacribus saltu, cum velocioribus cursu, cum validis
vecte certaverit. Cæsari equitandi usum à pueritiâ facilem
fuisse, testatur Plutarchus. In campò Martio equi erant
lignei, ut insilire dextrâ, lævâ, inermis, armatus, districto
etiam gladio fururus eques addisceret.

44. §. Præter hæc requiritur summa obedientia, quæ
tantò major esse debet & alacrior in milite, quantò ma-
jora in bellò juberi solent; quia ad Imperatoris jussum
in mortem non rarò est eundum.

45. §. Quaritur, an miles injustè bellanti Domino, no-
men dare possit? Distin. inter causam certam & dubiam, &
inter bonitatem & malitiam, & inter subditos & non subdi-
tos. Si injustitia est manifesta, nemo militare debet: si
dubia, non bellare posse eos, qui subditi non sunt; tutius
enim agit, qui rei dubiæ ad se non pertinenti se non immi-
scent. Si autem subditi sunt, aut sacramento jam tum ob-
stricti, tenentur sequi Imperatorem; quod in dubio pa-
triæ potius, quàm inimicis favere oporteat.

46. §. Sed nec infames, relegati, adulteri, rei capita-
lis criminis, vel publicis judiciis damnati in militum nu-
merum recipiendi. Olim tam sancta fuit militia, ut non
criminosos tantum, sed & criminis reos à se repulerit. Ho-
die hoc parum, imò nihil curatur. Emunt militem non
legunt.

legunt. Ad sonitum tympani coeunt, ignori inter se igno-
ranterque, purgamenta urbium suarum, quibus, ut supe-
rius ex Salustio monuimus, ob egestatem & flagitia maxi-
ma pereundi necessitudo est, assueti latrociniis, bellorum
insolentes.

47. §. Milites distinguuntur in *Tyrones*, hoc est, novos
milites, qui publicis stipendiis ad miliciam instruuntur,
nondum tamen in ordinem sunt relati, & *veteranos* qui
aliquoties bello interfuerunt. 2. *In equites & pedites*. Apud
antiquos omne belli robur in equite fuisse ait Aristoteles.
Hoc de pugna conceditur, de toto bello negatur. Pedites
enim multa loca penetrant, ad quæ eques pervenire nequit.
Ita etiam Tacitus plus in pedite roboris esse statuit, quod
equestrium virium proprium sit citò parare, citò cedere vi-
ctoriam.

48. §. Cætera, quæ Politici scriptores hic annectunt de
militum conscriptione, delectu, lustratione, præstatione ju-
ramenti, præliò, victorià, clade, obsidione, de tormentis
bellicis &c. in hoc generali exercitio tractari non possunt.
Nos pennam hic quiescere jubemus. Plura qui desiderat,
adeat Vegetium, Excellentiss. D. Jacobum Martini, Rein-
hardum König/Georgium Schönborn/Lipsium, Obrech-
tum. Cum primis commendandus est commentarius
bellicus Heinrici Ranzovii, omnem laudem & commen-
dationem, ut cum Scheurlino loquar, excedens.

49. §. Quærimus, num tormentis bellicis uti liceat? Tor-
mentorum usus tam in oppugnationibus, quàm propugna-
tionibus locorum munitorum, nostris temporibus est
creberrimus. Varia horum sunt. Quædam his seculis
reperita, à Bartholdo Schwarz anno 1378. & post in
bello,

bello, quod à Venetis cum Genuensibus est gestum, anno 1380. usurpata. Contrà Cornelius Agrippa de vanitate scientiarum, & Achilles apud Münsterum in Cosmographiâ, inventionem esse vetustam, usum renovatum, contendunt. Cum quibus facit Sethus Calvisius in libro, quem scripsit de Insulâ Virginiâ, ibique tormenta ferrea fuisse, ut & libros, demonstrat. Deus Deut. 26, 20. præcepit ligna succidi atque inde machinas confici ad civitates capiendas. Ab Osâ Rege machinæ Hierosolymis confectæ fuerunt, & usurpata. Duci in id incumbendum maximè, ut nova belli instrumenta inveniat, *Xenophon lib. 1. Cyropæd. suadet*, cum magnum hostibus afferant terrorem. Corvos navium à Romanis ex cogiratos, magnum momentum ad victoriam contra Carthaginenses artulisse, *testis est Polybius lib. 1. Historiarum*. Citius insuper ait *Jobannes Gerhardus in cent. quæst. Polit.* bella tormentis finiuntur, civitates commodius expugnantur. Ergò, ut murorum, ita tormentorum etiam usus ad defendendum licitus & concessus esse potest. Adderem ego: si licitum est hostem occidere, licitum etiam est tormentis uti, cum parum intersit, quo mediò profertur, modò vincatur, adeoque malum tollatur.

Contubernali meo dilecto,

His animis si defendes tua dogmata belli
Quæis gesit David bella duella pius:
 Distribuem spoliùm, gladium Goliathis inermis,
Atq; meam natam divite dote dabo.
 Hunc etenim spero post bella peracta triumphum,
Saulo cum David tempore portet opem.
 Præses.

05 A 2211


ULB Halle
003 782 573

3



86.





Disputatio Politica
de
BELLO,
Duce Deo & Praeside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philosop. Adjuncto,
proposita à
MATTHÆO BRIESMANNO,
Cotbulio - Lufato
In Auditorio minori
ad diem 9. Octobr. horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
A. d. b. CXXXIX.